Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8321
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

Torquet cor conscientia peccatorum, nondum facta est iustificacio. Ideo in psal-
mo de ipsa perfectione iusticie: Convertisti inquit planctum meum
in gaudium mihi, conscidisti saccum meum et precinxisti me leticia, ut
cantet tibi gloria mea et non conpungar: id est non sit quod stimulet conscientiam
meam. Stimulat timor, sed noli timere; intrat caritas que sanat
quem vulnerat timor. Qui autem timet non est perfectus in caritate;
quia nimirum timor penam habet. Quamvis sicut sectionem medici salus
optata, ita timorem caritas desiderata subsequatur. Nec putari de-
bet his beati Iohannis sermonibus esse contrarium quod psalmista dicit: Timor
domini sanctus permanens in seculum seculi. Duo namque sunt timores. Unus quo timent
homines deum ne mittantur in gehennam ignis. Ipse est timor ille qui intro-
ducit caritatem, sed sic venit ut exeat. Si enim adhuc propter penas ti-
mes deum, nondum amas quem sic times. Non bona desideras, sed mala ca-
ves. Corrigis te et incipis bona desiderare. Cum enim bona desi- Sed ex eo quod
derare ceperis, erit in te timor sanctus. Ille scilicet ne illa bona amittas. mala caves
Non ne mittaris in gehennam, sed ne te deserat presentia domini quam am-
plecteris, quo in eternum frui desideras. Nos ergo diligamus deum, quoniam ipse
prior dilexit nos. Nam unde diligeremus, nisi ille prior dilexisset nos.
Hinc enim ipse in evangelio dicit: Non vos me elegistis, sed ego elegi vos.
~~et posui vos~~. Ita autem electi erimus et perfecti in caritate, si quemad-
modum nullius alterius nisi salutis nostre causa prior nos ille dilexit. Ni-
mirum nos quoque ita eum nullius rei nisi suo tantum amoris dilexerimus
obtentu. Verum quia sunt qui verbotenus deum diligunt, consulte subiungitur.
Si quis dixerit quoniam diligo deum et fratrem suum oderit, mendax est. Unde
probamus quia mendax est? Audi. Qui enim non diligit fratrem suum quem vi-
det, deum quem non videt quomodo potest diligere? Et quod? Qui diligit fratrem suum diligit deum;
~~quem videt~~ necesse est ut diligat deum et diligat ipsam dilectionem.
Deus enim dilectio est. Et ne quis dicere auderet et quid obstat diligere
deum etiam si non diligo deum fratrem. Recte subdidit: Et hoc manda-
tum habemus a deo, ut qui diligit deum diligat et fratrem suum. Quomodo enim
diligis eum cuius odisti mandatum? Quis est qui dicat diligo imperatorem,
sed odi leges eius? Non ita est verus illi amator; sed unde inquit quia man-
data tua dilexi domine, et ideo confidenter adiungit; in tua misericordia vivi-
R [illegible]. Nolite mirari si odit vos. Dom. II. fica me. Iohannis A. do. ii.

34